



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quomodo ens in quantum ens ad inferiora contrahatur seu
determinetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO VI.

Quomodo ens in quantum ens ad inferiora contrahatur seu determinetur.

I.
Difficultas
quaestum.



Ecce est potissima difficultas, ob quam Scotus, Caietanus & alij in sententias extreme oppositas declinarunt. Alij negando conceptum entis præcisum, & abstractum, ut nulla sit necessaria eius contractio, vel determinatio, quia hæc nullo convenienti modo intelligi potest: quia nec fieri potest per non ens, ut ostensum est sectione præced. neque etiam per aliquod ens, alioquin in illo ente supponitur iam facta determinatio, & proceditur in infinitum. Sed hæc sententia, si intelligatur de abstractione secundum rem seu fundata in distinctione aliqua ex natura rei, vera est, & quoad hoc satisfacta, si vero intelligatur de abstractione secundum rationem tantum, non est vera, ut ostendimus, & ideo etiam secundum rationem explicare oportet, quomodo hæc contractio seu determinatio fiat. Alij ergo ita præsciunt, & abstrahunt conceptum entis, ut contrahi & determinari existimant per aliquid quod intrinsece non fit ens, quomodo philosophatur Scotus, qui non solum secundum rationem, sed etiam ex natura rei huiusmodi præcisionem excogitavit, tamē in duobus deceptus est, ut probavi: primò ponendo talem modum abstractionis, & præcisionis realis, secundò supposita illa fingendo modos, seu differentias positivas reales, quæ entia non sunt.

II.

Aliter verò fauet huic parti Soncin. 4. Metaphys. quæst. 1. ad 2. & quæ. 19. ad 7. & lib. 5. quæst. 14. dum ait modo constituentem substantiam & consequenter determinantem ens ad illam esse tantum negationem, vel ens rationis. Vnde (inquit) licet ens includatur quidditati in substantia, non tamen in eo per quod contrahitur ad conceptum substantiæ, quia id solum est quædam negatio, quam circumscribimus hac voce *per se*. Sed non video quid Soncinatem in eam sententiam induxerit, cum ipse non ponat conceptum obiectivum entis præcisum ab hoc disjuncto, *substantia vel accidens*, quia, si ab his non abstrahit, nullo modo contrahere indiget, sed sola ablatione alterius membri alterum determinatum relinquatur, id autem quod relinquatur, non potest intrinsece constitui per solam ablationem alterius membri, sed per id quod intrinsece est. Quia enim ratione intelligi potest substantia, constitui in ratione substantiæ, quæ perfectissima est per solam negationem, aut per ens rationis? Vnde omnia ferè argumenta, quibus contra Scotum probavimus, modū entis includere ens, procedunt contra hanc sententiam, scilicet, quia substantia non hinc ex substantiis coalescere, vel constitui potest. Item quia alias etiam modus quo determinatur ens ad ens increatum, esset negatio. Præterea conceptus substantiæ de formali esset privativus, aut per rationē confictus, & non realis: quia id per quod formaliter constituitur, dicitur esse negativum seu ens rationis. Denique alias etiam accidens per negationem à fortiori constitueretur, cum sit minus perfectum, quam substantia, erit ergo quidam circulus, quia substantia constitueretur per negationem inherentiæ, accides verò per negationem perfectitatis quæ vix est intelligibile. Quocirca, quamvis hæc simplicia interdū à nobis per negationes explicentur, tamen mens rectè concipit res ipsas reales non constitui negationibus. sic differentia bruti per irrationale explicamus, quod non propterea concipimus negatione constitui: similiter infinitatem Dei, negatione declaramus, quam in summa quadam, & positiva perfectione consistere rectè concipimus: sic ergo, quamvis substantiam per se esse interdum explicemus per negationem inherendi in alio: tamen mente concipimus non per eam

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

negationem formaliter constitui, sed per positivam perfectionem, qua intelligitur formalem vim habere ut fit per se absque subiecto, cui inhæreat: sicut & contrario in accidente intelligimus esse talem positivam naturam, quæ postulat adhesionem ad aliud, ut esse possit.

Tertia ergo sententia admittit contractionem seu determinationem entis ad inferiora per modos positivos, & reales: hæc autem determinatio dupliciter explicari potest. Primò, ut sic per modum compositionis ex ente & modo aliquo, ex quibus tanquam ex partibus Metaphysicis conceptus substantiæ, verbigratia, componitur, & in eisdem est resolvable: quæ compositio non est ex genere & differentia solum, quia ens includitur in ipso modo: in his enim compositionibus quæ tantum sunt per rationem non reputatur inconueniens, quod determinabile, quando transcendens est, includatur in conceptu determinantis. Et hac ratione aiunt conceptum substantiæ & aliorum supremorum generum, vel differentiarum vocari simpliciter simplices, non quia non sunt resolvable in duos conceptus: hoc enim est proprium solius entis, sed quia non sunt resolvable in duos conceptus mutuo præcidentes, quia unus necessario debet in alio includi, scilicet ens in modo, quamvis & conuerso modus in ente actualiter non includatur.

Quod si obijciat, quia repugnat fieri talem resolutionem in duos conceptus, & alterum in altero includi, nam si in conceptu modi *per se* includitur, ens & ipsum *per se*: ergo in eo includitur totum id, quod in conceptu substantiæ: ergo nulla facta est resolutio: Responderi potest: includi quidem ens in modo per se, aliter verò quam in substantia, nam in substantia includitur ut in completo & perfecto ente: in modo verò solum ut in completo. Item substantia includit modum *per se* ut partem Metaphysicam formaliter constituentem ipsam, atque illa est totum constitutum ex ente & modo: modus autem *per se* includit seipsum, seu potius est ipsemet, non ut pars sui, sed ut id quo constituitur substantia, & hac ratione vera fit resolutio substantiæ in ens, & per se: neque idem omnino includitur in modo, quod concipiebatur in substantia.

Quod si ulterius vrgatur difficultas supra tacta, de contractione seu determinatione entis ad ipsum modum *per se* per quid fiat, aut quomodo non procedatur in infinitum: Duplex est modus respondendi. Prior est determinari ens ad *per se* per alium modum, ita ut modus per se resolvable sit in duos conceptus, scilicet in conceptum entis, & alterius modi innominati, ratione tamen distincti ab ipso per se minusque perfecti: nam eadem ratio, quæ probat substantiam ipsam esse sic resolvablem, probare etiā videtur de modo per se: nam in eo est ratio entis modificata, & aliter, quam in substantia, & aliter etiam quam in modo accidentis: ergo potest ibi ratione distingui ratio entis, quæ modificatur, & ratio illam modificans ratione distincta ab illa, quæ modificatur ab substantia, ut modificatio ipsa diuersa rationis sit. Iuxta hanc verò sententiam consequenter dicendum est, illum etiā alium modum esse resolvablem in alios similes duos conceptus, & consequenter ita posse in infinitum procedi, quia non est maior ratio sistendi in uno, quam in alio. Hoc autem esset magnum inconueniens, si ponerentur isti conceptus ex natura rei distincti, quia oporteret fingere in substantia infinitos modos ex natura rei distinctos, & in perfectione inæquales, habentes terminum ex parte modi perfectissimi & proximè constitutivi ipsius substantiæ, non vero ex alio extremo: ita ut omnes illi modi simul ibi sint: & tamen in eis nullum sit assignare infinitum in perfectione: hæc enim & similia reuera sunt absurda. At verò asseratur solum esse inter hæc distinctionem rationis, & omnē hanc resolutionem & compositionem esse per præcisionem,

III.

Substantia
& accidens
per positivam
perfectionem
constitutum
est.

IV.

Aliqui quæ
dantur ens de
terminari
existimant.

V.

nem, & denominationem intellectus, non videtur magnum inconueniens totum hoc admittere: nam intellectus potest infinitis modis res inter se cōferre aut præcindere, & abstrahere: sicut potest etiā inter duas species in infinita genera, vel infinitū præcindere & abstrahere, quatenus inter duas species possunt aliæ intermedie in infinitum multiplicari. Sed nihilominus hæc responsio non est probanda, etiam in hac sententia: quia mēs statim abhorret processum in infinitum, quia alias nullus esset modus aut terminus resolutionis ad rem distinctē concipiendam, nec posset mēs inchoare, vel efficere huiusmodi abstractionem & determinationem, nisi sistendo semper in conceptu ulterius resoluibili in duos alios cōceptus, & incipiendo ab alio simili. Vnde authores omnes conati sunt hunc processum vitare; & videtur sane repugnare Aristot. 2. Metaph. cap. 2. text. 10. & 11. ubi negat posse procedi in infinitum in prædicatis quidditatis: oppositum enim apertē sequitur ex prædicto processu: & statim addemus alias rationes, quæ communes sunt, etiam contra hanc responsionem.

VI. Secunda ergo responsio esse potest, modum per se non esse ulterius resoluibilem in duos conceptus, sed seipso distingui à quolibet alio completo, vel incompleto ente: nam cum procedimus resoluendo quod constituitur, in id quo constituitur, sistendum est in eo quo, ne procedamus in infinitum. Nam quod est ratio constituendi, seu distinguendi aliud, hoc ipso est per se distinctum à quolibet alio: sic enim in reb. physicis forma est, quæ distinguit vnum compositū ab alio, ipsa vero per se est distincta: & in vniuersum actus est qui distinguit, ipse verò actus per se est distinctus. Sic ergo modus per se (& idem est de cæteris) contrahit ens ad substantiam, quam constituit, & distinguit ab aliis, simulq; se ipsum ab aliis etiam se parat, & per se determinat ens ad seipsum: & sic cessat processus in infinitum. Hæc responsio est probabilis, tamen non est satis consequenter dicta, nec rem satis declarat, vt ex dicendis in consequente sententia patebit.

Explicatur vera sententia.

VII. Qvarta igitur opinio, & quæ mihi probatur, est, hanc contractionem seu determinationem conceptus obiectiui entis ad inferiora non esse intelligendam per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptionis alicuius entis contenti sub ente; ita vt vterque conceptus, tam entis, quam substantiæ, v.g. simplex sit, & irresolubilis in duos conceptus, solumque differant, quia vnus est magis determinatus, quam alius. Quod in ordine ad conceptus formales recte explicatur: differunt enim solum, quia per vnum expressius cōcipitur res, prout est in se, quam per alium, quo solum confusè concipitur, & præcisè secundū aliquam conuenientiam cum aliis rebus: hoc autem totum fieri potest, sine propria compositione per solam cognitionem confusam, vel distinctam, præcisam, vel determinatam: Sic igitur his conceptib. formalibus intelliguntur correspondere duo obiectiui simplices, & irresolubiles in plures conceptus, quorum vnus dicitur superior, vel abstractior alio, solum quia respondet confusiori conceptui formali, per quem non concipitur res secundum determinatum modum, quo est in se: sed confusè, & præcisè. Potest etiam intelligi ille cōceptus superior includi in inferiori sine propria compositione inferioris: quia totum id, quod confusè concipitur in illo conceptu præciso, reperitur in alio obiecto expressius concepto, & in toto illo, quacumq; ratione consideretur. Ac denique intelligitur determinatio superioris ad inferius, & additio inferioris ad superius, nō quāsi per additionem partem ad partem, sed per solam maiorem determinati-

tionem, vel expressionem, aut cōfusionem eiusdem rei in ordine ad diuersos conceptus mentis.

Talem modum explicandi hanc rem indicauit D. Thom. quæst. 1. de verit. art. 1. dicens; Quod primo intellectus concipit, quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est ens: vnde oportet quod omnes alie conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens: sed ens nihil potest addi quasi extranea natura per modum, quo dicitur: entia adduntur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimitur ipse modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur: & infra, Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, ed nominis substantiæ exprimitur specialis modus essendi. Idem significat quæst. 21. de verit. art. 1. Eundem idē dicendi modum significauit Scot. 1. dist. 8. quæst. 3. differt tamen in ratione explicandi: vt ex dictis facile constat.

Præterea, hunc modum abstractionis & determinationis intellectualis esse possibilem, probatur exemplis: nam cum diuidimus quantitatem in bicubitam, tricubitam, &c. non potest intelligi, quod conceptus bicubitæ quantitatis resoluitur in conceptu quantitatis & bicubiti, quia impossibile est concipere bicubitum non concepta quantitate, signum ergo est, illos duos conceptus solum distingui sicut expressum & confusum. Idem serè est in conceptu caloris & caloris vt octo: cuius signum etiam est, quod conceptus communis caloris non solum includitur in toto calore vt octo, sed etiam in singulis gradibus eius: cum ergo dicitur calor vt octo, non additur modus distinctus faciens compositionem cum calore vt sic, sed exprimitur & concipitur calor, prout est in re. In præsentē etiam hoc est manifestum in determinatione entis ad ens infinitum, neque enim concipi potest infinitas, tanquam aliquis modus additus enti, vel tanquam aliquid minus ipso ente infinito: solum ergo est ibi expressior, magisque determinatus conceptus cuiusdam simplicissimi entis: & hac ratione ens ipsum non est simplicius Deo, quāuis in modo quo concipitur, sit abstractius. Ita ergo recte intelligi potest in conceptu substantiæ & accidentis.

Si autē hic modus possibilis est; quod in præsentē sufficiat, & ita fieri censendum sit, facile suaderi potest. Primò, quia hoc modo expeditur facile difficultas sæpe inculcata in superioribus: & explicatur, quomodo ens possit dicere conceptum præcisum secundum rationem, & nihilominus determinari ad inferiora, & intinè includi in omnibus illis absque processu in infinitum, & absque propria compositione. Secundò, quia hoc modo saluatur optimè, quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices: & nihilominus possit ab eis abstracti conceptus entis per solam præcisionem intellectus, quæ non consistat quasi in separatione vnus ab alio, scilicet, formalis à materiali, vel materialis à formali, vt fit in abstractione generis à differentiis: sed quæ consistat in cognitione aliquo modo confusa, qua consideratur obiectum, non distinctè & determinatè prout est in re, sed secundum aliquam similitudinem, vel conuenientiam, quam cum aliis habet; quæ conuenientia in ordine ad conceptum entis est in rebus secundum totas entitates, & modos reales earum & idè confusio, seu præcisio talis cōceptus non est per separationem præcisiam vnus gradus ab alio, sed solum per cognitionem præcisiam conceptus confusi à distincto & determinato. Vnde potest tertio hoc ostensuè probari, quia conceptus entis non est præcisus secundum rem, sed secundum rationem, vt probatum est; præcisio autem secundum rationem potest contingere illis duobus modis, vt ostensum est, & nō facile poterit alius fingi, vel excogitari. Rursus præcisio quasi formalis per exclusionem vnus gradus ab alio non habet locū in ente propter illimitationem suam, & transcendenti-

VIII.

IX.
Ad hunc contrahendum entis assignatus possibilis est probatur.

X.

Ad omnes difficultates enodandas talis modus optimus.

nam: & quia continentia in qua fundatur eius conceptus, aequè est in tota entitate secundum se totam: ergo solum potest in ente habere locum altera prædictio per confusionem conceptus: ergo etiam è contrario modificatio, seu determinatio ad inferiora genera solum esse potest per simplicem conceptum magis expressum, & determinatum, quia contractio debet proportionatè respondere abstractioni, & expressio seu determinatio præcisioni.

XI. Tandem contra hanc sententiam sic explicatam non occurrit difficultas alicuius momenti: nihil enim se offert, quo ostendi possit hunc modum abstractionis & contractionis secundum rationem repugnare, aut non sufficere ad omnia, quæ de ente & eius inferioribus dici solent, aut concipi, & ad omnem experientiam, quæ ex modo concipiendi nostro sumatur, vel percipi possit. Solum video posse obiici Philosophi testimonium, lib. 3. Metaph. tex. 3. dicentis, non posse commune prædicatum contrahi per differentiam, quæ per se includat ipsum commune prædicatum. Sed ut omitam testimonia, quæ ex illo libro sumuntur non esse firmæ authoritatis, quia Arist. nihil in illo libro docet asserendo, sed arguendo, & dubitando: tamen falso citatur, quia non loquitur de quolibet communi prædicato, sed de genere, de quo est alia ratio, ens autem non est genus, imò hoc ipsum vult ibi Aristoteles concludere. Vnde & aliqui id extendunt ad omne prædicatum commune, vel vniuocum, gratis dictum est, & præter mentem Philosophi. De qua re iterum infra redibit sermo, tractando de vniuersalibus, & de analogia, vel communitate entis, & accidentis.

XII. Hinc sequitur conceptum substantiæ, & conceptum perfectiatis, seu modi *per se* obiectiue non distinguui, sed tantum ex modo concipiendi, ut quod, vel ut quo: sicut Deus, & Deitas: quia in re propriè non est quo, & quod, sed tantum quod: mens autem, quia non potest explicare simplicia, nisi ad modum compositorum, utitur illis concipiendi modis. Et idèd suprà dicebam, rectè quidem dici vnum ex his modis distinguui ab alio se ipso: tamen, consequenter loquendo, idem esse dicendum de ipsis generibus, quæ apprehenduntur ut constituta per tales modos: quia reuera ibi nulla est constitutio per modum compositionis, sed per simplicem, & adæquatam identitatem (sicut dicunt Theologi de relatione & persona diuina) quia quidquid vnum includit, includit aliud. Neque est vlla ratio ob quam modus *per se*, magis se ipso distinguatur ab alio modo, quam substantia: cum

Quæstione proximè etiam sit sub ente, & intimè ac totaliter inclusa illud. Atque hac ratione optimè dicuntur *suprema genera* primo diuersa, non quia in nullo communi conceptu confuso conueniant, sed quia non habent determinatas differentias, quæ sint extrarationem illius communis seu entis, sed se ipsis habent diuersitatem in propriis ac determinatis naturis, quauis etiam habeant imperfectam similitudinem in ratione entis: hæc enim duo non repugnant, ut in superioribus declaratum est.

DISPUTATIO III.

in tres sectiones distributa.

De passionibus entis in communi, & principis eius.

I. Explicata formali ratione obiecti adæquati huius scientiæ, antequàm ad particularia obiecta descendamus per varias entis diuisiones, oportet de passionibus illi adæquatis, & quæ cum illo conuertuntur, disputare: quoniam proprium munus scientiæ est passionem de suo subiecto

Franc. Suar. Metaph. Tom. II.

demonstrare. Hic ergo de his passionibus in communi, postèa de singulis in speciali dicemus: quia verò scientia utitur aliquibus principiis ad suas passiones, demonstrandas, hic etiam breuiter declarabimus, quibus principiis uti possit, aut debeat hæc doctrina. Agimus autem hic de principiis cognoscendi, quæ solent principia complexa vocari: nam de principiis seu causis realibus inferius dicemus.

SECTIO I.

Vtrum ens in quantum ens habeat aliquas passiones, & quales illa sint.

Ratio dubitandi est, quia, ut aliqua sit vera, & realis proprietas alterius, quatuor condiciones ut minimum requirit. Prima est, ut ipsa proprietas sit aliqua res, nam si sit nihil, quomodo esse poterit realis proprietas? Secunda, ut distingua- tur aliquo modo ex natura rei ab illo, cuius est proprietas: nam si sit omnino idem cum illo, potius erit essentia, vel de essentia eius, quam proprietas. Tertia, ut adæquatè illi conueniat, seu cum illo conuertatur: agimus enim de proprietate, quæ per se secundo alicui conuenit: nam hæc sola est, quæ sub scientiam cadit, & demonstrari potest. Quarta denique est, ut subiectum, seu id cuius est proprietas, non sit de intrinseca ratione & essentia talis proprietatis, quia, ut Aristoteles dicit libro 7. Metaphysicæ capit. 5. text. 18. & 1. Poster. capit. 18. tex. 35. subiectum non cadit intrinsecè & essentialiter, sed solum ut additum in definitione passionis: alioqui mutuo ita se haberent, quod passio conueniret subiecto per se secundo, subiectum autem passioni per se primo: quæ videtur aperta repugnantia. Sed fieri non potest, ut respectu entis sit aliqua proprietas, quæ has omnes condiciones habeat: nam, si proprietas realis est, intrinsecè & essentialiter est ens reale: quia neque omnino non ens, neque solum ens rationis esse potest: quia (ut dicebam) quod nihil est, vel solum per rationem fingitur, non potest esse realis passio entis realis: debet ergo esse aliquid reale: ergo est ens reale quidditatiue & essentialiter: nam, ut suprà contra Scotum probatum est, nihil potest esse reale, quod intrinsecè & essentialiter ens reale non sit. Repugnat ergo esse proprietatem realem entis realis ut sic: quia si est proprietas realis: ergo ens est de essentia eius: si autem ipsa est proprietas entis, ens non potest esse de essentia eius, quia, ut dicebamus, subiectum non potest esse de essentia passionis. Rursus id quod est essentialiter ens, non potest ex natura rei distinguui ab ente: ut suprà generaliter probatum est: ergo nec potest esse passio entis. Item, quod est essentialiter ens & non est ipsum ens in communi, est inferius ad ens: ergo non conuertitur cum ente: ergo non potest esse proprietas entis. Tandem, quod est essentialiter ens, debet habere omnes proprietates entis, si quæ illa sunt: ergo non potest illud ipsum esse proprietas entis: alioqui, esset proprietas sui ipsius, quod plane repugnat: vel certè includeret aliam proprietatem sibi similem, & à se distinctam: & idem rursus de illa dici posset: & sic procederetur in infinitum.

Varia sententia referuntur.

II. In hac re tres inuenio dicendi modos. Primus est, ens habere reales & positius proprietates ex natura rei ab ipso distinctas, quæ tamen in se intrinsecè & essentialiter entia non sunt. Sumitur ex Scoto locis suprà citatis in 1. dist. 3. quæstio. 3. & dist. 8. quæst. 2. & in dist. 3. quæst. 3. & 6. Fundamenta eius quoad duas vltimas parres tacta sunt in ratione dubitandi. Prima verò pars probari breuiter potest,

F 3 primo